



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quid sit basilica. xciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quid sit basilica. Cap. XCIII.

Basilion Græcorum rex erat. Hinc & basilica regalis, *Ex dictis S. Isidor.*
quia in primis temporibus reges tantum sepeliebantur in ea. ideo nomen sortita est. Nam nunc temporis cæteri homines, siue igni combusti, siue aceruo lapidum sepulti sunt.

De illis qui domum Dei contemptibilem faciunt.

Caput. XCIII.

Si quis docet domum Dei contemptibilem esse, & conuentus qui in ea celebrantur, anathema sit. *Ex cõcil. Gãgren. cap. 5.*

De eadem re. Cap. XCV.

Si quis extra Ecclesiam seorsum conuentus celebrat, & despiciens Ecclesiam, ea quæ sunt Ecclesiæ voluerit usurpare, non conueniente presbytero iuxta decretum episcopi, anathema sit. *Ex eodẽ. cap. 6.*

Ut calix & patena ex auro aut ex argento fiat.

Caput XCVI.

VT calix domini cum patena, si non ex auro omnimodis, ex argento fiat. Nec causentur presbyteri avaritia suadente de paupertate, vel impossibilitate, cum quarta pars ex omnibus quæ ad Ecclesiam pertinent, in fabricis ipsius Ecclesiæ sit impédenda. Admonendus est etiam populus ut aliquid in donariis domini offerat, sicut ille antiquus populus sub Mose in tabernaculo domini fecisse legitur. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De ære autem ex aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem eruginem parit, quæ vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo calice, aut vitreo præsumat cantare. *Ex cõcil. Remens. cap. 5.*

De obseruanda mensa Christi. Cap. XCVII.

Obseruandum est, ut mensa Christi, id est, altare vbi corpus dominicum consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi sanctorum reliquiæ reconduntur, vbi preces & vota populi in conspectu Dei à sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis & pallis diligentissimè cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum sanctorum reliquiis & quatuor Euangelia. Expleta Missa calix cum patena, & sacramentorum liber, cum vestibus sacerdotalibus in mundo loco sub sera recodantur. *Ex eodẽ cõcil. ca. 5.*